

II

D. Utrum minister extraordinarius sacrae communionis, ad normam cann. 910, § 2 et 230, § 3 deputatis, suum munus suppletorium exercere possit etiam cum praesentes sint in ecclesia, etsi ad celebrationem eucharisticam non participantes, ministri ordinarii, qui non sint quoquo modo impediti.

R. Negative.**

Ut ad salutiferam virtutem eucharistici sacramenti, in quo «totum bonum spirituale Ecclesiae continetur»¹, facilius christifideles accederent, novis temporum adiunctis accurate spectatis, inter alia, quae nunc in can. 910, § 2 inveniuntur, statuta sunt: «Extraordinarius sacrae communionis minister est acolythus necnon alius christifidelis ad normam can. 230, § 3 deputatus». Ceterum, revocata norma sigillatim iubet: «Ubi Ecclesiae necessitas id suadeat, deficientibus ministris, possunt etiam laici, etsi non sint lectores vel acolythi, quaedam eorumdem officia supplere, videlicet ministerium verbi exercere, precibus liturgicis praeesse, baptismum conferre atque sacram communionem distribuere, iuxta iuris praescripta».

** Responsio diei 27-2-1987. S.P. certior factus die 1-6-1988, eam publicari iussit in ephemeride «L'Osservatore Romano» (cf. *Communicationes* 20 [1988] 76) quae publicatio facta est die 20-7-1988, p. 2. Promulgatio vero facta est die 23-9-1988 (*AAS* 80 [1988] 1373).

¹ Concilium Vaticanum II, Decretum *de presbyterorum ministerio et vita*, n. 5b, in: *AAS*, 58 (1966) 997. Re vera Eucharistia est Ecclesiae bonum commune, sensu quidem technico. Cfr. quoad hoc: P.A. BONNET, *Eucharistia et ius*, in: *Periodica*, 66 (1977) 583-616; vocem, *Eucaristia*, in: *Digesto delle discipline pubblicistiche*, Torino, sub praelo.

Ad laicorum ministerium², hoc in casu vere extraordinarium, exercendum dilucide codex duas ponit condiciones: defectus ministri ordinarii, de quo in can. 910, § 1, i.e. episcopi, presbyteri et diaconi, et Ecclesiae necessitas. Ut recte huiusmodi condiciones intelligere possimus, peropportuno est acta Pontificiae Commissionis Codici iuris canonici recognoscendo et, praesertim documenta Romanae Curiae in quibus haec codicis norma, aliquo saltem modo, nititur, attento animo perpendere.

Ad primam condicionem quod attinet, de codicis recognitione, satis est si memoramus eandem in schematibus adesse, et singillatim ratione habita canonis qui in codice promulgato erit 230, § 3, quamvis interdum alia formula, uti illa («deficientibus sacris ministris necnon lectoribus et acolythis») die 16 maii 1980 agitata³. Veniamus, nunc hac semper super re ad acta Romanae Curiae et mentem, ante omnia, intendimus in Instructionem S. Congregationis de disciplina sacramentorum "*Immensae caritatis*" diei 29 ianuarii 1973. In hoc documento statutum est: «Ordinarii locorum facultate gaudent qua personae idoneae, nominatim selectae uti ministro extraordinario, valeant permittere... sive seipsam pane caelesti cibare, sive hunc aliis fidelibus porrigere et aegrotis domi degentibus afferre, quoties: a) sacerdos, diaconus et acolitus desint; b) iidem s. Communionem administrare impediuntur propter aliud pastorale ministe-

² Cfr. P.A. BONNET, *La ministerialità laicale*, in: AA.VV., *Teologia e diritto canonico*, Città del Vaticano, 1987, 87-130. Cfr. quoque: P.A. BONNET, *De laicorum notione adumbratio*, in: *Periodica*, 74 (1985) 227-271.

³ Cfr. *Communicationes*, 13 (1981) 320.

rium, adversam valetudinem ac provectam aetatem»⁴. Praeterea, eadem occasione, ipsa S. Congregatio sacros ministros ad hoc hortata est: cum facultas de qua agitur «tantummodo in bonum spirituale fidelium et pro casibus verae necessitatis concessae sint, meminerint sacerdotes per eas se non eximi a munere fidelibus legitime petentibus divinam Eucharistiam distribuendi et praesertim aegrotis afferendi ac porrigendi»⁵. Inter rationes de sacra communione et de cultu mysterii eucharistici extra Missam quae decretum S. Congregationis pro cultu divino «*Eucharistiae sacramentum*» diei 21 iunii 1973 comitantur, legere possumus in n. 17: «Aliis ministris extraordinariis facultatem distribuendi sacram communionem Ordinarius loci dare potest, quoties... sacerdos aut diaconus aut acolythus praesto non sint»⁶. Denique in Instructione S. Congregationis pro sacramentis et cultu divino «*Inaestimabile donum*» diei 3 aprilis 1980, asseveratur: «Religiosus vel laicus fidelis, qui extraordinarius constitutus est eucharistiae minister, poterit communionem impertire solummodo, cum sacerdos vel diaconus vel acolythus desunt, cum sacerdos debilitate provectave aetate impeditur ... Reprobandus ideo mos est eorum sacerdotum, qui, licet celebrationi ipsi intersint, a communione tamen distribuenda se abstinere, laicis id munus committentes»⁷.

Secunda condicio, quae munus extraordinarium ministri in S. Eucharistiae distributione legitimum

⁴ AAS, 65 (1973) 265-266.

⁵ AAS, 65 (1973) 266.

⁶ *Enchiridion vaticanum*, vol. IV, Bologna, 1985¹³, n. 2527, p. 1636.

⁷ AAS, 72 (1980) 336.

reddit, in schemate anni 1975, hac formula et ratione habita canonis qui post codicis promulgationem erit 910, § 2, occurrit: «Extraordinarius sacrae Communionis minister, in casibus nempe in quibus necessitas pastoralis id requirat, est acolythus necnon, servatis loci Ordinarii praescriptis, alius christifidelis»⁸. Post disceptationes diebus 17-21 aprilis 1978 et propter suggestiones in consultatione Codicis habitas, in Schemate anni 1980 dempta particula «nempe» magna quoque additio, in nostro canone, habetur quoniam «necessitas pastoralis» in «necessitatem vel utilitatem pastoralem» se vertit, dum «servatis loci Ordinarii praescriptis» fit «ad normam iuris deputatus»⁹. In subsequentibus tantum textus canonis contrahitur, nostram condicionem recidendo et una simul revocando ad aliam normam, quae erit can. 230, § 3. Postrema huiusmodi norma, quae iuxta formam agitatam die 16 maii 1980 adhuc continebat condicionem nostram hac ampliori ratione: «Ubi Ecclesiae necessitas aut utilitas id suadeat»¹⁰, post contentiones illius diei ad haec verba tantum versatur: «Ubi Ecclesiae necessitas id suadeat»¹¹.

Nunc veniamus ad documenta Curiae de hac condicione. In memorata instructione S. Congregationis de disciplina sacramentorum diei 29 ianuarii 1973, «*Immensae caritatis*» affirmatur rerum adiuncta ministros extraordinarios legitimantia varia esse, et singillatim «infra Missam, ob magnum populi concursum vel peculiarem celebrantis difficultatem; ... extra Missam, cum ob dissita loca difficile est sacras Species

⁸ *Communicationes*, 13 (1981) 244.

⁹ *Communicationes*, 13 (1981) 244.

¹⁰ *Communicationes*, 13 (1981) 320.

¹¹ *Communicationes*, 13 (1981) 321.

afferre, praesertim ad modum Viatici, infirmis in periculo mortis constitutis, vel cum ipse infirmorum numerus, praesertim in nosocomiis vel similibus institutis, plures ministros postulat»¹². Nec aliter re vera habetur in Instructione iam supra revocata S. Congregationis pro cultu divino diei 21 iunii 1973, «*Eucharistiae sacramentum*», in qua ad acolythos rite institutos quod attinet condicio nostra ita explicatur: «Quoties numerus fidelium ad sacram mensam accedentium adeo ingens est, ut Missae aliisque actionis sacrae celebratio nimis protrahatur»¹³. In eadem Instructione praeterea additamentum aliquod magni ponderis quoque habetur: «Aliis ministris extraordinariis facultatem distribuendi sacram communionem Ordinarius loci dare potest, quoties id pro utilitate pastoralis fidelium necessarium visum fuerit»¹⁴. Quae usque adhuc de hac secunda condicione vidimus reperire etiam possumus in commemorata Instructione S. Congregationis pro sacramentis et cultu divino diei 3 aprilis 1980, «*Inaestimabile donum*», his verbis: «Religiosus vel laicus fidelis, qui extraordinarius constitutus est Eucharistiae minister, poterit communionem impertire solummodo... cum fidelium ad communionem accedentium numerus tantus est, ut ipsa Missae celebratio nimis protrahatur»¹⁵.

Rebus sic stantibus patet et *rectitudo* et *sensus* responsionis, quam explicamus, Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici authentice interpretando.

¹² AAS, 65 (1973) 265.

¹³ *Enchiridion vaticanum*, vol. IV (cfr. adn. 6), n. 2527, p. 1636.

¹⁴ *Enchiridion vaticanum*, vol. IV (cfr. adn. 6), n. 2527, p. 1636.

¹⁵ AAS, 72 (1980) 336.

At aliquid, quamvis tantum de iure condendo, nobis videtur addendum esse. Christifideles non ordinati omnia ministeria haud hierarchica in Populo Dei perficere valent¹⁶, et quidem per se, tamquam christifideles, et non ad sacros Pastores aliquo modo supplendos. Nam istiusmodi christifideles, et laici potissimum, sicuti admonet S. Congregatio pro doctrina fidei in aliqua sua responsione diei 8 februarii 1977 a Summo Pontifice die 17 decembris eiusdem anni probata, «dogmatice... exclusi tantum sunt ab officiis intrinsece hierarchicis, quorum capacitas a receptione sacramenti Ordinis dependet»¹⁷.

Re vera ad missionem Ecclesiae exsequendam multa dantur ministeria¹⁸ in Populo Dei, qui ex divina voluntate mira varietate formatur et perficitur. Est enim «in Ecclesia diversitas ministerii sed unitas missionis»¹⁹. Et, magis definite, Concilio Vaticano II

¹⁶ Cfr. P. A. BONNET, *La ministerialità laicale* (cfr. adn. 2), pp. 104-106.

¹⁷ De hac responsione certiores nos facit J. BEYER (cfr. *Iudex laicus vir vel mulier*, in: *Periodica*, 75 (1986) 59, et *ibidem* cfr. quoque adnotationem 63).

¹⁸ Cfr. P. A. BONNET, *La ministerialità laicale* (cfr. adn. 2), pp. 87-106. Cfr. quoque: J. BEYER, *Laïcat ou peuple de Dieu*, in: AA.VV., *La Chiesa dopo il Concilio. Atti del congresso internazionale di diritto canonico, Roma 14-19 gennaio 1970*, tom. II/1, *Comunicazioni*, Milano, 1972, 233-247; A. LONGHITANO, *La recente riflessione sui ministeri e i riflessi sulla codificazione degli stati giuridici dei battezzati*, in: *Monitor ecclesiasticus*, 106 (1981) 411-436.

¹⁹ Concilium Vaticanum II, *Decretum de apostolatu laicorum*, n. 2 b, in: *AAS*, 58 (1966) 838. De hac re cfr.: P. A. BONNET, «Est in Ecclesia diversitas ministerii sed unitas missionis», in: AA.VV., *Les droits fondamentaux du chrétien. Actes du IV^e Congrès International de Droit canonique, Fribourg (Suisse) 6-11.X.1980*, publié par E. Corecco, N. Herzog, A. Scola, Fribourg Suisse - Freiburg im Breisgau - Milano, 1981, 291-308.

ita docente, huiusce christifideles, maxime laici, «diversis modis... vocari possunt, ad modum illorum virorum ac mulierum, qui Paulum apostolum in Evangelio adiuvant, multum in Domino laborantes... Praeterea aptitudine gaudent, ut ad quaedam munera ecclesiastica, ad finem spirituales exercenda, ab Hierarchia adsumantur»²⁰.

Inter illa non ordinata, certe, ascribendum est ministerium de quo loquimur. At, ut fieri solet, quae usque adhuc diximus ministerium nostrum minime ad actum expedire valent, sine debitis condicionibus, pro omnibus christifidelibus. Nam sicuti iam monebat S. Congregatio pro cultu divino sua instructione diei 5 septembris 1970, «*Liturgicae instaurationes*», «sacrorum... rituum instaurationi nullo prorsus modo spectat ad *desacralizationem*... nulloque vult esse argumento illi eventui, quem *mundi saecularizationem* appellant. Ideoque rituum dignitas et gravitas et sacra indoles servantur oportet»²¹. Praeter illud «desacralizationis» tamen aliud adest periculum intelligendi ministerium nostrum, praesertim si ipsum una cum quibusdam aliis²² consideramus, veluti aliquid positum a clero, etsi non ordinato, tamen certo modo «parallelo», vel nostra stante codiciali disciplina, suppletorio.

Proinde omnibus accurate consideratis tutari ante omnia necesse est principium quoad hoc iam liquido in Epistula Iohannis Pauli II diei 24 februarii 1980, «*Dominicae caenae*», assertum: «Tangere sacras Species ac *partiri propriis manibus* est ordinatorum

²⁰ Constitutio dogmatica *de Ecclesia*, n. 33 b, in: AAS, 57 (1965) 39.

²¹ AAS, 62 (1970) 695.

²² Cfr. P.A. BONNET, *De laicorum notione* (cfr. adn. 2), pp. 256-257; *La ministerialità laicale* (cfr. adn. 2), pp. 119-122.

privilegium, quod indicat *actuosam participationem ministerii eucharistiae*. Patet vero posse Ecclesiam tribuere talem potestatem hominibus qui nec sacerdotes sint nec diaconi, cuius generis sunt sive acolythi suum exsequentes ministerium, praesertim si ad futuram ordinationem destinantur, sive alii laici qui facultatem iusta de necessitate acceperunt, sed semper post consentaneam praeparationem»²³ (et haec praeparatio fortasse numquam affatim urgetur). Amplius pro nostro ministerio, ad omnia pericula vitanda, satis est — salvo meliori iudicio — si ipsum, *in contextu tamen totius ministerialitatis Ecclesiae*²⁴, in Populo Dei ab omnibus reapse existimatur peractum a christifidelibus, tamquam christifidelibus soli sacerdotii communis ornatis, praetereaue astringitur his condicionibus: «quoties id pro utilitate pastoralis fidelium necessarium visum fuerit» et «servatis loci Ordinarii praescriptis», quoniam unaquaeque Ecclesia particularis concredita est Episcopo, veluti vicario et legato Christi, ad ipsam edificandam, «etiam auctoritate et sacra potestate... in veritate et sanctitate»²⁵.

Non aliud restat nisi animadversio aliqua, quae breviter absolvere possumus. Responsio nostra, iuxta notitiam publicis iuris factam in *Communicationes*²⁶, ad extremum habet: «Summus Pontifex Iohannes Paulus II de supradicta decisione certior factus, die 1 iunii 1988 eam publicari iussit in ephemeride «L'Osservatore Romano». Mirum est Romani Pontificis

²³ AAS, 72 (1980) 142.

²⁴ Cfr. supra, adn. 18.

²⁵ Concilium Vaticanum II, Constitutio dogmatica *de Ecclesia*, n. 27 a, in: AAS, 57 (1965) 32.

²⁶ 20 (1988) 76.

huiusmodi singulare iussum — a necessitate et festinationis et notitiae, prouti veri simile est, profectum — tantum die 20 iulii ad exitum adductum fuisse²⁷, praetereaue istiusmodi editionem, quae effectum monitorium certis in adiunctis meliorem quam eadem publicatio in Actis Apostolicae Sedis²⁸ assequi valet, vim non habuisse vere propriaeque promulgativam, legitimam ad normam can. 8, § 1²⁹, *dummodo* insolita huiusmodi forma, ad omnes incertitudines quoad hoc vitandas, speciali et expreso modo praescribatur ac notetur³⁰.

P.A. BONNET

²⁷ Cfr. «*L'Osservatore Romano*», die 20 iulii 1988, p. 2.

²⁸ Cfr. P. FEDELE, vocem, *Acta Apostolicae Sedis*, in: *Novissimo digesto italiano*, vol. I, Torino, 1957, 254; P. CIPROTTI, vocem, *Acta Apostolicae Sedis*, in: *Enciclopedia del diritto*, vol. I, Milano, 1958, 532-533; G. FELICIANI, vocem, *Acta Apostolicae Sedis*, in: *Enciclopedia giuridica*, vol. I, Roma, 1988 (sine pagellarum generali indicatione).

²⁹ Cfr. tamen alio ac opposito sensu: M. BONNET, *Interprétation authentique ou privée?*, in: *Les cahiers du droit ecclésial*, 4 (1987) 150.

³⁰ Cfr. G. MICHIELS, *Normae generales iuris canonici. Commentarius libri primi Codicis Iuris Canonici*, vol. I, Parisiis - Tornaci - Romae, 1949², p. 284.